

TENTAMEN MEDICUM  
INAUGURALE,

DE

CHOROE A,

QUOD,  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,  
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JOANNES EWART,

SCOTUS,

Societ. Physic. Edinenf. bis Praefes,

Et

Socius Honorarius.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

---

M, DCC, LXXXVI.



Praeceptori suo

JOANNI HOPE, M.D. F.R.S. L. et Ed.

Botanices et Medicinae,

In Academia Edinenfi,

Professori ;

Nofocomii Regii Edinenfis

Medico ;

Collegii Regii Medicorum

Praefidi :

Hoc Tentamen Medicum Inaugurale,

Ea, qua par est, observantia,

Inscriptum voluit

A U C T O R.

C O R R I G E N D A .

- page 8. line 15. *pro* repentinus *lege* repentinis.  
11. 22. *pro* convulsionem *lege* convulsionum.  
16. 6. *pro* obnoxiae *lege* obnoxii.  
36. 6. *pro* innitur *lege* innititur.  
36. 21. *pro* peculiari *lege* peculiari.  
47. 14. *pro* phlebotoniam *lege* phlebotomiam.  
52. 15. *pro* cardemines *lege* cardamines.

# TENTAMEN MEDICUM

## INAUGURALE,

DE

# CHOREA\*.

**Q**UO tempore chorea primum sese ostenderit, vel ab auctoribus fuerit depicta, pro certo comperire nec valeo, nec operae pretium duco.

\* Vide Cull. Synopf. G. LI. *Sceletyrbe*<sup>a</sup>, Saltatio<sup>b</sup>, Saltus Vitae<sup>c</sup>, Choreia Sti. Joannis<sup>d</sup>, et Sti. Viti<sup>e</sup>, *Hieranosos*<sup>f</sup>, multaque alia nomina, labentibus annis, huic morbo fuerunt indita. Nonnullae *Tarantismi*<sup>g</sup> species ad eum quoque referendae videntur. Necnon terras apud diversas, diverse nominatur, ut *Le danse de St. Weit*, vel *de St. Guy*<sup>h</sup>, *Leaping ague*, &c.

<sup>a</sup> Galen, Preysinger, &c. <sup>b</sup> Ephem. Germ. <sup>c</sup> Tulpius, Platerus. <sup>d</sup> Mezeray histoire de Charl. V. <sup>e</sup> Sydenham. <sup>f</sup> Macbride. <sup>g</sup> Sauvag. Nos. Meth. <sup>h</sup> Encycloped. de Sciences.

duco. Ob tenebras, quibus medicinae primordia involuta, vix penetrandas, obque morbos a vetustioribus male descriptos, quaestiones hujusmodi non solum, dum prosequimur, arduae, sed exitu etiam ancipites.

Quibus sub formis apud recentiores semet in conspectum dederit, notare magis interest; et de his, quaedam summi momenti referuntur. Hodiernos vero hunc morbum nimis neglexisse, quidem dolendum; perpauci enim ad eum animum advertere fuere dignati. Quae nonnulli sat recte observarunt, ea per res plurimas alienas inordinate disjiciuntur, adeo ut vel eadem indagare, vel inventa in ordinem aptum redigere, minime sit facile. Etsi igitur huic dissertationi animum pro virili intendi, multis ex partibus mendosa adhuc reperietur. Genus nervosum tenebris tam densis obruitur, motusque muscularis natura adeo est incognita, ut iusta morbi theoria nequeat stabiliri. Multa quidem his de rebus olim fuerunt scripta, et multa de iisdem hodie docentur; at auctores, obscura claris, incerta certis, temere commiscendo, tenebras adeo non dispulerunt, ut eas profundiores redderint.

Investigationes

Investigationes hujusmodi igitur, uti juvenem decet, praetermittam, pergamque tradere historiam morbi, diagnosin, et causas; unde rationem quorundam e signis, prognosin et methodum medendi deducere conabor.

### HISTORIA MORBI.

Hujus morbi symptomata tam varia atque instabilia sunt, ut omnia nequaquam recenseris possint; sed frequentiora, ut potero, summatim attingam.

Chorea sexum utrumque, et habitus corporis omnes infestat; aequo pulsans pede regum turres, pauperumque tabernas. Adolescentes praecipue corripit, licet nulla aetas ab illa prorsus sit immunis. Feminae quam mares, virgines quam uxores, ei magis obnoxiae.

A quadam artuum debilitate ac instabilitate plerumque incipit. Partis calor interdum minuitur, et sensus molestus, aerae epilepticae haud absimilis, percipitur, qui tamen rarius ad caput ascendit. Haec excipiunt tremores vagi, convulsivi:

“ Sed

“ Sed modo subsidunt, intermissique filescunt,  
 “ Vimque putes illos deposuisse suam ;  
 “ Sic abeunt, redeuntque,” OVID.

donec ita frequentes ac faevi evadunt, ut illis nunquam vacent aegroti. Alterum latus plerumque hoc modo primum afficitur ; at quassationibus involuntariis totum corpus ex aequo quandoque exagitur. Nunc pes quoquoersum jactatur, dum crus quiete recumbit ; nunc femora atque crura varios patiuntur subsultus : Hinc claudicant inter ambulandum aegri ; hincque varie distorti artus voluntatis vix parent arbitrio.

Manus et brachium officiis non apte funguntur ; nam motus eorum repentinus subsultibus et aberrationibus perturbantur. Quicquid in manu est, saepe vel violenter abjicitur, vel, quasi teneri haud potuit, elabatur ; vixque aliquid arripere, nec ad locum ullum recta linea admove-  
 re, aegrotus valet. Hoc inter bibendum maxime notabile est ; pars fluidi enim magna per motus, quos exhibet manus, convulsivos, antequam ad os eum adducere potest, plerumque effunditur. “ Mox enim,” inquit Hoffmannus, “ brachia manusque attolluntur, trahuntur, retra-  
 “ huntur,



“ huntur, jaçantur, variisque modis agitantur,  
 “ ac si tribularent. Mox pedes in diversas pla-  
 “ gas extenduntur, dextrum crus antrorsum, si-  
 “ nistrum retrorsum, aut vicissim trahuntur;  
 “ terram validissime quatiunt conculcantque \*.”

Dum aegri ambulant, vel strenue semet exercent, motus fiunt leniores; at, inter leves actiones voluntarias, ex. gr. bibendum, multum augentur, et inter sedendum aut recumbendum maxime saevi et enormes conspiciuntur; aegrotum tamen nec fatigant, nec dolore afficiunt.

Artus sic affecti, nisi vi externa prohibiti, vix horae quidem momentum in eodem situ retineri queunt. Haec tamen methodus comparandae quietis exiguum solatium misero praebet; namque, dum ita coercentur tremores, cephalalgia, vertigo, cordis palpitatio, spiritus difficilis, singultus, vomitus, aliaque partium internarum spasmodorum signa accedunt; quae etiam, motibus sponte remittentibus, interdum incidunt. Et si artus unus, etiam si digitus solus, fraenetur, vel reliqui omnes magis agitantur, vel novi oriuntur motus. Neque hi minus frequentes redduntur, postquam vis, quae eos aliquantisper referat,

B

ferat,

\* De motibus spasmodicis vagis.

ferat, amovetur; sed, contra, vehementiores fiunt, saevioresque aliquamdiu manent.

Quibusdam in exemplis choreae gravibus, et caput vellicationibus, corpusque succussionibus, maxime afficiuntur. Os hiat, moxque clauditur, oculi volvuntur, et tota facies mirifice torquetur. Exeritur ac tremit lingua, non sine vulnere; stridorque dentium adeo violentus evadit, ut nonnulli collisione labefactati excidant. Vox balbutiens ac tarda verba vix cohaerentia edit; nonnunquam vero volubilis et fluens, mentem quasi praecurrit. Deglutitio quoque et manducatio admodum difficiles, aut nimis acceleratae. Denique, pars corporis nulla est, quam non pervadunt tremulae convulsiones.

Tactus raro minuitur. Sanguinis circuitus est in aliis exemplis alius, et in eodem quoque multum variatur. Plerique sunt quodammodo fatui, vel, si iudicii vis valeat, memoriae deficit. Pathemata concitiora, noti hysteriae comites, animum vexare consueverunt.

Incerta sunt omnia quae functiones naturales spectant. Tanta nunc est cibi appetentia, ut aegri omnia sibi objecta lambant, sorbeant, mandant, vorent; nunc vero fastidio vel vomitu tentantur. Saliva ex ore copiosius interdum effluit, ductilisque

ductilisque lymphæ ab eo pendet; sed minus a sputi secretionē aucta, quam ejusdem in ore retinendi impotentia. Sexui sequiori sæpe defunt menstrua; antequam vero primum proveniunt, id ætatis, quod morbo huic maxime patet, elapsū est.

Haec sunt indicia, quæ tamen innumerae varietates comitantur, choreæ consueta. Motus convulsivi, aliis in exemplis, certis ex intervallis, sub forma paroxysmorum redeunt\*; in aliis, per noctem diemque, per somnum et vigiliam, permanent †. Immo, quibusdam in casibus per totum morbi decursum noctes vigilantur amarae. Plerumque vero, durante somno, convulsiones cessant; eoque finito, donec vel loquatur, aliiſve voluntatis motibus utatur, aegrotus, plerumque quiescunt, tuncque renovantur.

Interdum etiam choreas ludicras aegri exercent, et solito more gradi dum cupiunt, currere et saltare coguntur, variisq; modis tripudiant. Hæ ab illis, qui, vel propter membrorum debilitatem, vel convulsionem potius violentiam, motibus

\* Ephem. Germ. Dec. III. ann. V. VI. p. 556. et Deider. citante Sauvages.

† Platerus, lib. 1. Tulpius, lib. 1.

tibus nullis voluntariis possunt fungi, peraguntur; et cum discumbere coacti sunt, gestu inquieto totum corpus agitur.

Chorea frequenter *epidemica*, et aliquibus in terris *endemica* est. In Hollandia\*, anno 1373, crudeliter grassabatur, et etiam juxta Orrheam in Scotia annis abhinc circiter viginti†. Parisiis eam invaluisse, auctor est Lieutaud‡. In Swevia quotannis revertitur, et eos, antea affectos, singulis annis aestivo tempore denuo adoritur§.

## D I A G N O S I S.

Hic morbus ab omnibus aliis facile distingui potest. A quibusdam, pro convulsionis specie mitiore tantummodo fuit habitus, et confitear oportet, totam spasmorum classem esse quodammodo

\* Mezeray histoire de Charl. V.

† Haec, omnesque res factae, quas de chorea apud Orrheam, Anglice *Forsar*, olim grassante, postea narrabo, historiae ejus, quam manu scriptam accepi, auctoritati innituntur.

‡ Synopsis, vol. 1. p. 153.

§ Gregor. Horstius.

modo similem. Haud chorea vero convulsioni, quam epilepsia hystericae, similior est. In chorea, contractiones et relaxationes minus violentae, brevius durant, et in specie omnino dissimiles. Hae parum doloris faceffunt, et citra exitium tamdiu durant, ut chronicae jure nominentur; at illae atrocissimae dolorem lethalem gignunt, et nomen acutarum sibi vindicant.

In nonnullis paralyseos exemplis, motus artuum affectorum tremulus interdum accidit; symptomata vero morbi praeuntia, sensus status, motuumque violentia, morbi genus plane distinguunt. Cl. Mead, et Pitcairn existimant, choream esse paralyseos speciem, quam opinionem refellere minime necessarium habeo.

Hoffmannus\* hunc morbum cum raphania (tetani variatione) conjunxisse videtur. Sed affectus spasmodici *tonici* sat bene internoscunt hanc ab chorea, cujus contractiones *clonicae* sunt.

## CAUSAE

\* De motib. spasm. vag.

## C A U S Æ R E M O T Æ.

Ut morborum naturam rite indagemus, in ea prima, quae homines iis opportunos reddunt, inquirere decet; nunc igitur, quae ad motus choreae inordinatos proclivitatem dant, ea perscrutanda. Potestates nocivae praecipuae, quae hunc morbum nonnullis inferre solent, aliis impune saepe adhibentur; unde constat, alios esse aliis multo mobiliiores. Facultas ista musculorum, nempe, qua, stimulo admoto, sese contrahunt, mobilitas dicitur; valetudine vero vigente, gradui istorum stimulorum, nostris corporibus fere semper adhibitorum, quibus contractiones musculorum provocantur, plerumque accommodatur. Si quando motus stimulo justo leviori cieantur, vel si motus enormes stimulo solito excitentur, mobilitatem augeri, scire licet; et hanc nimis auctam choreae ortui favere iudico. Occupat autem iste excessus vel partem unicam, vel, quod frequentius accidit, corpus universum, et cum eo plerumque jungitur mens mobilis et inconstans.

Corporis

Corporis mobilitatem augeri posse, plurima comprobant ; sed hanc inter ac vigorem distinguere necesse est. Illa est facilitas, qua fibrae musculares ad contractionem excitari queunt ; hic vero est potentia, qua contractio abolvitur. Quandoquidem haec mobilitas nimia mortalibus antea sanis frequenter accidit, exindeque evanescit, conditiones corporis alias, quae eam comitantur, detegere opus est. Si ullo cum corporis statu videatur connecti, quo sublato, imminuitur, illam ab hoc pendere, colligere fas est.

Plerique omnes hodierni duos corporis status, *debilitatem* nempe et *plethoram*, utpote mobilitatem augentes, ponunt. Satis manifestum, corpus ad impressiones suscipiendas, in statu debili quam robusto, magis proclivum esse. Ita, in aetate tenera, antequam vires acquisivit idoneas, irritamentis levissimis, seu menti vel corpori admotis, facillime afficitur ; et facilitas, qua movetur corpus, infantis vigori aut imbecillitati semper est consentanea. Puberes utriusque sexus, praesertimque feminas, magna plerumque debilitas affligit ; inde constitutionis mobilissimae signa iis multa accedunt. Convalescentes, et mulieres tenellae, eandem mobilitatem mirum

in modum habent. Quinetiam, zonae torridae, regionumque Europae australium, et aliarum terrarum calidarum incolae, qui vel ex temperie coeli, diaeta tenuiore, aut usu balneorum immodico, maxime debilitantur, huic mobilitati valde obnoxiae. Quoniam itaque feminas prae maribus, infantes ac impuberes prae omnibus, chorea invadat, est cur credatur, debilitatem, quippe quae mobilitatem adauget, proclivitatem ad eam dare, praecipue cum non modo viri robustiores ejus vacent, sed debiles, qui diu aegrotaverant, debilitate sublata, sanantur\*.

Debilitatem vero ad mobilitatem augendam per se minime semper valere, magnamque corporis infirmitatem etiam esse aliquando comitem torporis, quo nihil mobilitati magis contrarium, notare oportet. Hi status, mobilitatis nempe et torporis, a conditione solidi simplicis multum pendere videntur. “Cohaerentia quidem, inquit Gaubius †, duobus modis peccat, imminutione vel excessu.” Ex illa mobilitas, ex hoc vero torpor, magna ex parte oriuntur. Inde, quae laxant et enervant corpus, ea mobilitatem; at, quae id roborant, et rigidius solito faciunt, omnia torporem adaugent. Quamobrem chorea, aliaeque affectiones convulsivae, saepissime

\* Sydenh. p. 528.

† Pathol. §. 152.



sime in sanguineo, et raro in temperamento melancholico, se ostendunt, illinc intelligimus; illud enim a solidis nimis laxis, hoc a nimis rigidis, pendere, nunc ubique conceditur. Hoc modo intelligi potest quomodo mortales, quo magis fenescant, mobilitate ac morbis inde oriundis minus periclitentur; series nempe annorum longa, corpus debile, fibrasque motrices ejus rigidas reddit.

*Sanguineum*

Conditionem corporis plethoricam mobilitatis auctui favere, numerosis quoque constat observatis. In ordine Phlegmasiarum toto, maxima ad motus proclivitas pollet in partibus affectis. Quando stomachus ex. gr. inflammatur, liquores mitissimi vomitum excitant, quamvis statu in sano liquores spirituosos, resque alias acres, sine molestia ferre potest. Consimili forsan ratione, feminae, nimia corporis plenitudine laborantes, hysteriae et similibus plerumque patent; sed, dimota plenitudine, his omnibus liberantur. Denique, plethora homines ad omnem convulsionem valde opportunos reddit; et, quoniam tonus fibrarum moventium, in corpore plethorico, magis a tensione, quam fluida vasis sanguiferis impertiuntur, pendeat, quam a rigiditate

iis insita; ita mutationes in quantitate fluidorum frequentes mobilitatem corpori insuetam non dare non potest.

Praeter ea, quae frequenter mobilitatem excitant, magis manifesta, alia natura incertiora adhuc memoranda restant. Quaedam *idiosyncrasia*; quae perpetuo corpori inesse, at certis vitae temporibus magis exquisita, credatur, sine dubio, idem quandoque efficit. Hanc a cerebro, et genere nervoso male conformatis, vel forsitan a structura totius corporis singulari, oriri, quidem probabile est. A patre ad sobolem per progenies complures haud raro percurrit; et quidam existimarunt eam in foetu adhuc intra uterum incluso, ex imaginatione matris gravidae, dum aegrotum convulsionibus laborantem conspicit, excitata, interdum, progigni\*. Quantum haec res tales edere effectus valeat, in incerto relinquam.

Corporis status supra memorati, quippe mobilitatem, quae hunc morbum movere praecipue periclitatur, excitantes, attentionem medicorum potissimum in se converterunt. Alia, adhuc omissa, forte eodem tendunt, et multa pro mobilitatis

mobilitatis causis, quae eam generare nequeunt, quaeque hic loci praetereunda, habita fuere.

Haudquaquam mihi in animo est plenius de mobilitate, et unde vel in sanitate constat, vel morbo augetur, differere ; multa enim haec obscurant, quorum nunc nequeo caecas exponere causas. Quum autem reputemus, mobilitatem nimiam easdem fere semper agnoscere causas, et, in eodem homine, unam causam nocentem epilepsiam, convulsionem, choream, &c. interdum sine discrimine dare, eas omnes, specie externa utcunque dissimiles, sibi invicem maxime affines esse, facile colligendum. Non satis explorate compertum est, quo pacto corpus ita accommodatur, ut rebus similibus tam diverse afficeretur.

De iis, quae corpus choreae opportunum faciunt, haecenus. His autem ad eam excitandam per se parum valentibus, ad potestates quasdam nocivas, quae corpori admotae morbum gignunt, transeundum. Has omnes in eas quae *mentem*, et quae *corpus*, initio irritant, dividere licet.

ANIMI

## ANIMI AFFECTUS.

Pathemata, quae choream excitare observantur, permulta sunt, quorum praecipua nunc obiter recensere aggrediar.

*Ira.* Nullus animi impetus insigniores, quam ira, effectus concitat; epilepsia enim, convulsiones, etiam mors repentina, eam sunt secutae. Ubi chorea in quibusdam Scotiae partibus epidemice grassata est, hanc causam frequenter agnovit; et feminam eodem morbo, qui ab ira traxerat originem, laborantem semel ipsemet vidi. Quinetiam, motus choreae convulsivos, ex quacunque causa exortos, iram saepissime augere, experientiae convenit; cuius exempla, si necesse, complura proferri possent.

*Terror aut metus,* multis in casibus, choream excitavit. In nosocomio Edinensi, nonnulla hujus morbi exempla, quibus timor ortum praebuit, mihi obvenerunt. Idem circa Orrheam, dum chorea ibi praevaluit, saepissime edidit similem effectum; reique alicujus improvisae interventus, motus choreae fere semper augent. Huc etiam attinet observatio auctoris, qui, citante

tante Sauvagesio, narrat, hunc morbum sexdecim viris et tribus feminis ex imprecatione sacerdotis accidisse. In hac parte, de daemonum et magices effectibus, quibus vulgo creditum fuit, mentionem facere quoque idoneum est. Si fidem historico Mezeray adhibeamus, huic causae choream tribuebant Batavi, dum per Hollandiam vagabatur; et memoriae tradidit exemplum Platerus, quod causis similibus etiam assignavit. De Haen ejusdem morbi casum refert, qui ex daemone oriri creditus; et multi alii auctores literas sacras citaverunt, observationesque suas ad vim daemonum, in plurimis convulsionibus edendis, comprobendam attulerunt. Si haec tamen revera facta sint, ea magis ex ingenti timore, quam alia quavis causa, provenisse, verisimillimum habeo.

*Horror*, quamvis timori affinis, quodammodo diversus est, et per se memorari meretur. Ad averfationem, horroris speciem, res forsitan pertinet, et ea choream saepe renovare cognita fuit, quando in partibus Scotiae septentrionalibus grassabatur. Simul ac ex puteo quodam medicinali aliquis convalescens hausit, morbus instanter rediit. Ibi vero aegroti imaginatio, ad morbum excitandum, non minus quam aquae  
sapor

sapor ingratus, conferret, quia paroxysmum ejus post hanc libationem semper expectavit; hocque satis probabile ex eo fit, quod ipsi aegri, morbum iri sanatum solummodo per renovationes motuum iteratas, sinxerunt, hancque aquam, motibus renovandis, ei remedium opportunum, putarunt. Imaginationes suas impetum choreae renovando sufficere, constat satis superque; si aliquis enim convalescentibus morbi mentionem fecit, in paroxysmo saepenumero incidebant; quod ex horrore oriri manifestum est.

Conspectus hoc morbo laborantium, eum itidem frequenter civit. Nonnulli impressionibus adeo obnoxii, ut cunctos motus et gestus, quos coram iis aliquis praestat, aemulari cogantur\*. Ludis pantomimicis Romae olim peractis, tanta erat vis histrionum, varios mentis motus, fallibus gestibusque variis, vivide repraesentantium, ut spectatores, illusionem subita quasi correpti, eos imitari cogentur. Quod ad nostram rem vero magis attinet, in insula Codanoniae, ubi morbus choreae affimilis vagatur, si quemlibet motus convulsivi, in ecclesia aliisve populi conciliis,

\* Philos. trans. abridg. vol. 3. p. 8.

ciliis, capiant, cuncti, qui iis antehac fuerint tentati, ut et plures, eorum adhuc immunes, similibus extemplo corripiuntur\*. Idem quoque in Scotia apparuit, dum chorea per partem ejus mirum in modum glifcebat. Huc referre licet experimentum, quod saepius tentatum vidi: Siquis coram aegro, choreae paroxysmo laborante, motus inordinatos similes exhibeat, paroxysmus intenditur, et membra miseri magis magisque agitantur.

Pröpensio ad imitationem magna, quae nostrae naturae infigitur, aliqua ex parte, horum signorum rationem reddere potest. Ita infans inconsciis quicquid videat, quicquid audiat, imitatur. Praeter vero meram imitationem, in natura humana quiddam plane inest, quod hominem alienae laetitiae vel aerumnarum ac doloris, participem laetum vel moestum reddit. Hujusmodi sympathya est, affectus, sicut omnes nativi alii, probis humanisque nequaquam proprius. Quibusdam † placet, spectatorem ex sympathya se fingere in situ hominis, quem intuetur, collocatum, exindeque non modo intelligere quid miser

\* Whytt's works, p. 582.

† Dr A. Smith's theory of moral sentiment.

miser aerumnis obrutus sentiat, sed easdem quasi proprias lugere ac horrere. Hoc modo originem multorum morborum explicant: Adstans, inquiunt hi philosophi, ope imaginationis vividae, se in loco aegroti ponit, et signa similia cito adveniunt. Revera tamen non tantum lenta ratione ducimur, quantum quodam instinctu subito invitè ad sympathiam rapimur, nec interea conscii sumus istius fictae mutationis nos inter ac aegrotum, quem inscii imitamur. Haec saltem certa sunt quomodocunque explicari possint: Delicati ulcera mendicorum in plateis nudata intuentes, titillationem sensumque ingratum in partibus corporis sui iis respondentibus haud raro sentiunt. Eodem modo,

“Dum spectant oculi laesos, laeduntur et ipsi.” OVID.

Vultus hilaris alacritatem, morosus vero et moestus, curam et anxietatem spectanti excitant. “Si vis me flere, dolendum est primum ipsi tibi.” Quando conspiciamus ictum, cruri vel brachio alieno imminentem, genua labantia nobis tremunt, crus vel brachium retrahitur, et ictum sentire videmur. Vulgus Schoenobaten intuens, corpora sua, motus ejus aemulans, librare solet, et huc ac illuc inscium torquet. Similis effectus sympathiae a Sallustio pulcherrime



pulcherrime depingitur. Milites Jugurthae ob-  
 sidebantur, et focii fideles obsidentium castra  
 subito invadebant. Impetus Romanorum a  
 moenibus in aggredientes conversus, spatium de-  
 dit defensoribus oppidi qui e moenibus pugnam  
 despexerunt. “Eos,” inquit auctor \* facundus,  
 “eos uti quaeque Jugurthae res erant, laetos mo-  
 “do, modo pavidos, animadverteres; ac sicubi  
 “audiri a suis aut cerni possent, monere alii, alii  
 “hortari, aut manu significare, aut niti corpori-  
 “bus; huc et illuc quasi vitabundi, aut jacentes  
 “tela agitare.”

Sympathia vero haud semper cruciatibus vel  
 doloribus eorum, qui eam commovent, par est.  
 Interdum mortalis miseremur ob aliquid, quod  
 ille pati minime videtur. Hinc nos impuden-  
 tia aut insolentiae alicujus, qui erubescere suum  
 esse nequaquam percipit, pudet; vel quia per-  
 turbationem sentimus, quam nobis nosmet tam  
 absurde gerentibus adfuturam existimamus, vel  
 quia nos invitos ita natura fert. Hinc chorea  
 in quodam, horrore qui ei, a morbo conspecto,  
 incussus est, excitari potest, quamvis ille, cujus  
 motus notati, parva sollicitudine affectus fuerit.

D

Alii

\* Bell. Jug. cap. lxiv.

Alii quoque animi affectus, hunc morbum provocantes, aliquando sunt observati; qualis moeror, gaudium, &c. et nil dubito, quin quolibet pathemate motus fuerint intenti.

Denique, ex *vi consuetudinis* sola hunc morbum pendere, inter omnes, ni fallor, convenit. Per eam, multae corporis actiones, nobis saepe inconsciis, praestantur. Motus digitorum, quos initio aegre perficit musicen discens, frequenter repetiti, adeo faciles et rapidi fiunt, ut dicto citius edantur. Nemo certe non agnoscit, quam difficile sit novas linguas; initio proferre, literarum formas delineare, aut opificum variis instrumentis uti; haec omnia autem homines iis assuefacti brevi facillime peragunt. Mens etiam, usu, cogitationum quandam feriem comparat. Mercatorem de commercio, militem de armis folis, loqui delectat, scientiasque continuo excogitare philosophum. Tasso, immortalis poeta, diu furere se simulavit, posteaque demens factus est \*.

————— “ Qui finxit simulator amare,  
“ Saepe quod incipiens finxerat esse, fuit.” Ovin.

Similique

\* Abregé de la vie de Tasse, par M. Mirabaud.

Similique modo, qui morbos simulant, iis ipsis saepe capiuntur. Inde, si balbutire fingas, linguae haesitationem acquires. Complura exempla epilepsiae et convulsionum, quae, quamvis principio ficta, vera evaserunt, enarrant auctores. Gregorius Horstius\* morbum epidemicum, affectioni, de qua agitur, simillimum, unde huic nomen inditum, depinxit, qui in Swevia singulis annis apud templum Sti. Viti revertitur, et qui huic causae procul dubio tribuendus. Inter solennia hujus Sancti, plurimae feminae ad aram confugiunt, ibique, uti mos jussit superstiosus, nocte dieque saltu se exercent, donec motus inviti fiunt, mentesque perturbatae. In Scotia, dum saeviit chorea epidemica, multi, hunc morbum antea perpeffi, motus convulsivos arbitrio suo renovare poterant, corpora quodam modo contorquendo. Jam in historia morbi observavi, motus involuntarios post somnum aliquando quiescere, donec vel loquatur vel aliter se moveat aegrotus, tuncque redintegrari; quod vi consuetudinis itidem quadam ex parte attribuendum. In hoc etiam, ut omnibus aliis in morbis, qui ex mobilitate proficiscuntur, symptomata frequenter manent, causa excitante  
primaria

\* Lib. 2.

primaria sublata, et subinde redeunt, postquam evanuerunt. Haecce motuum continuatio aut integratio a vi consuetudinis certe pendet; et ab hac observatione, quaedam consilia curae utilia colligere conabor.

### IRRITAMENTA CORPOREA.

Inter corporis irritationes, quae choream progignunt, *nimiam cerebri vasorum plenitudinem* primo notare in animo est. Utrum major sanguinis quantitas alio quam alio tempore in cranio existere queat, necne, hic loci quaerere supervacaneum foret; quamvis enim nonnulli viri insignes, cranium eandem sanguinis quantitatem nunquam non continere, putant, singulas arterias semper aequae plenas esse, haud contendunt\*. Aliquas cerebri arterias, igitur, uno magis quam alio tempore turgere, hancque vasorum ejus plenitudinem frequenter epilepsiae occasionem dare, pro certo, fere omnibus medicis, habetur †. Cum etiam, in exemplis choreae quibusdam, ubi nempe aegri sunt plethorici, dolor capitis, ponderisque

\* Monro on the nervous system, c. 1 f. 5.

† Cullen's F. L. MCCXCIV. §. et seq.

ponderisque sensus, motus convulsivos anteeunt, nulla alia causa apparente, idem quandoque hunc morbum edere, verisimillimum est. Quae-libet alia potestas, cerebrum irritans, similem quoque effectum excitare quit. Hujus morbi exemplum quod vertebri colli tumidis ac distortis exoriebatur, refertur \*. Talibus autem irritaminibus rarissime notatis, alia, quae in partes corporis diversas agunt, et quorum impressiones per nervos ad cerebrum communicantur, choream excitantia, detegenda. Viscera abdominalia consensum cum cerebro insignem habent; ob quam rem, quae iis irritationem praebent, morbum hunc frequenter concitant.

*Vermes intestinorum*, omnium irritaminum, saepissime choream ciere, plurimi existimant †. Hoc quidem frequentius est, quam ut exemplis fit confirmandum. Vermes etiam, aliis causis conjunctis, ad hunc morbum excitandum haud infrequenter adjuvant; ita, choream terrore editam, posteaque vermibus sustentam, vidi.

*Primarum*

\* Jeb's select cases, No. xiii.

† Vogel. de cogn. et curand praec. aff. Goett. p. 505. Rahn. de miro inter caput et viscera abd. commerc. p. 118. Spangenburg de chorea, p. 23. Hoffm. t. 3. §. 1. cap. 3. Bruckman de morb. nerv. &c.

*Primarum viarum acrimonia.* Cl. Whytt\* profert exemplum hujus morbi, quem viscidi per diarrhoeam spontaneam evacuatio humoris sanabat; indeque colligit, ab hoc in intestinis incluso morbum provenisse. Motus tremulos, ab eodem fonte exortos, vidit Sauvagesius †; eique choream tribuit Ruamps ‡; cujus quoque meminit Hoffmannus §.

*Nervi partium aliarum sensilium irritati.* Etsi vero, intestina inter et cerebrum, maximus existat consensus, aliis partibus corporis irritatis, morbus quoque nascitur. Epilepsia et tetanus, haud fecus ac chorea, ex irritamentis exiguis, superficiei corporis admotis, non raro oriuntur. Hanc ex dentitione manifestissime profectam conspexit illustr. Monro ||; ejusdemque casum inflammatione brachii editum, de Haen\*\*, aliumque rheumatismo, Sauvagesius narrant.

Neque quidem *aura*, in chorea nonnunquam observata, hic praetermittenda est; quae in affectibus epilepticis, ex quodam nervos singulares irritante plane interdum pendet, solaque esse causa nocens constat. Choream, in qua corpus,

\* Works, p. 573.

† Nos. Meth. I. p. 558.

‡ Journal de med. 1758.

§ Loco jam citato.

|| Praelectiones.

\*\* Ratio medendi, vol. 1. p. 52.

pus, *ganglion* dictum, hanc auram creavit, mihi nondum inventa est; quoniam vero hic sensus molestus cujusdam nervos irritantis testimonium fit, cumque nil aliud, excitans morbum, saepe deprehendi queat, inter causas nocentes recenseri bene meretur.

*Evacuationes nimiae.* Animalia, quae sanguinis detractio necantur, in mortis angustia semper convulsionibus corripiuntur\*; necnon inter omnes convenit, haemorrhagiam saepe epilepsiam dare. In diariis nosocomii Edinensis, exemplum choreae unum, quod venae sectione renovatum fuit, et complura ea aucta, inveni. Quando debilitas permagna est, nulla alia causa ad choream excitandam necessaria. Hanc febribus intermittentibus interdum successisse, memorant †; ac in nosocomio Edinensi, ea convalescentem ex typho nuper tentavit; sed, viribus aegri redintegratis, evanuit. Quicquid igitur corpus admodum debile reddit, perinde quam sanguinis profusio, choream inducere potest.

*Nonnulli odores.* Alterum casum refert Sauvagesius, alterumque ipse vidi, pictoris hoc morbo, fortasse ex plumbi vaporibus, nulla alia causa

\* Hales's flaties.

† Edin. Med. Essays.

sa semet ostendente, orto, laborantis. Vapores quoque ex quibusdam aliis metallis ; ex carbone, opio, et *alcohol*, motus convulsivos saepissime faciunt. Quibus modis haec agunt prorsus ignoro.

*Venena quaedam.* Platerus \* memoriae tradidit hujus morbi exemplum, quod ex usu euphorbii inconsulto proveniebat. Ipsum affectum usui theae, caffeeae, aliorumque narcoticorum, immodico tribuit Sauvagesius. Liquores fermentati aut spirituosi, nimis copiose assumpti, eundem effectum edunt. Dr Duncan † bis ex hoc fonte choream derivatam vidit ; et adjicit, tremores manuum, quae vulgo a largiore potatione oriuntur, ad hunc morbum, non minus quam ad paralyfin, attinere ; quod mihi tamen parum verisimile videtur.

Causas remotas praecipuas breviter enumeravi. Cum autem modi, quibus genus nervosum sanum inuneribus fungitur, nondum detegantur, quo pacto motus choreae irregulares efficit, nec explicari nec intelligi potest. Causa igitur proxima admodum incerta adhuc manet, eamque, ne tenebras tenebris adjiciam, praeteribo.

Nihil

\* Lib. 1, cap. 15.

† Cafes, No. xx.



Nihil igitur aliud restat, quam ut pauca de effectibus causarum praeceuntium, in hoc morbo e-  
dendo addam. Convulsionem esse conatum natu-  
rae, ad corpus nostrum in meliorem statum redi-  
gendum, ab omnibus Hippocratis et Galleni af-  
fectis existimatum fuit; et nemo ex antiquis ante  
Willisium hanc propositionem respuebat. Inter  
sternuendum, ex nicotiana in nares recepta, ti-  
tillationem quandam percipimus, qua ad illud  
incitatur; et nicotianae ejiciendae sternutatio  
inservit. Ante pandiculationem, totius corporis  
torpore afficimur, quem sublevare desideramus,  
illaque peracta, agiliores evadimus: Docet prae-  
terea Sanctorius, perspirationem, inter oscitan-  
dum aut pandiculandum, sextuplo esse majorem.

Verum etsi in his et quibusdam aliis exemplis  
propositio fit vera, minime semper obtinet.  
Quis enim dicere potest nervo lacerato convul-  
siones mederi? Quis unquam existimavit, con-  
vulsiones sanguinis in cerebro congestionem  
posse amovere? Ex illis autem, multifque aliis  
causis, quas augere magis quam minuere con-  
spirant, oriuntur.

Ad hanc rem magis dilucide exponendam,  
causas excitantes, in eas, quae directe stimulant,  
et quae vim cerebri minuunt, distinguere placuit

Culleno. In priore exemplo, convulsiones ex necessario nimiam istam perceptionem, quae in gradu modico actiones naturales excitat, sequuntur\*; in hoc tamen, naturae conanti, corpus in meliorem statum reducere, attribuendae. Haec *vis medicatrix*, uti diu nominata, seu potius *renitens*, in plurimis morbis satis aperte se ostendit; et fidenter affirmare possumus, quasdam potestates debilitantes, quae ad vitam delendam spectant, tantum renixum ciere, quantus choream aliasque convulsiones edat †. Cur aliis syncope, aliisque renixus qui spasmum facit, ex iisdem impressionibus contingat, non clare constat. Metus tamen, horror, odores et venena quaedam, syncopen ac mortem subitam saepe inferunt; unde sequitur, haec, vim cerebri minuendo, convulsiones quoque efficere. Reliquae potestates praecipuae, choream excitantes, sunt quae vel dolorem, sensumve gratum, maxime gignunt, omnesque stimulantibus annumerandae.

## R A T I O

\* Whytt's Works, p. 149. 152. 161. 162.—

† F. Lines MCCXCIX. §.

## RATIO SYMPTOMATUM.

Propter nostram actionis omnium causarum ultimae, cum in mutationibus rerum naturalium efficiendis, tum in morbis edendis, ignorantiam, in hac parte, quaedam symptomata ad alia facta oeconomiae animalis, magis universa, referre solummodo possumus.

Investigationem nostram causarum nil esse, praeter factorum digestionem secundum similitudinem aut discrepantiam, constat. Si in animalium functionibus, phaenomena inter se fere semper convenientia observemus, inde legem oeconomiae generalem colligimus, ad quam, signa nonnullorum morborum, actionum naturalium quodammodo similia, referre solemus. Sed in hac rerum digestionem faciendam, magnae vixque superandae difficultates saepe occurrunt, ex eo praesertim, quod in omnibus naturae operationibus plurimae vires conjunguntur. Nonnulla quoque facta interdum se ostendunt, quae nulli legi generali accommodari queunt.

Antequam

Antequam vero symptomata choreae speciatim indagare aggrediar, pauca de sympathia, quae inter omnes corporis partes existit, et de consensu inter partes quasdam singulares, praefari oportet; quibus convulsionum theoria magno opere innitur. Sympathiam inter cunctas corporis partes sensiles existere insignem, sequentia evincunt. Odores quidam vigorem toti corpori extemplo impertiuntur, alique feminas aliquas syncope et convulsionibus afficiunt. Quando ventriculus est integer, mens placida est, corpus agile et robustum; si autem stomachus aegrotet, languor, debilitas, et melancholia obveniunt. Cibus aut vinum, in stomachum recepta, vires cujusdam defessi instanter reficiunt; sed contra, venena complura tremores, stuporem, artuumque frigus faciunt. Experimenta etiam ab ill. Monro \* et Whytt †, in ranas instituta, hujus sympathiae universalis praebent exempla.

Quinetiam, praeter hanc, quaedam organa peculiari modo inter se consentiunt. Stomacho laborante, caput dolet, et vice versa. Naribus irritatis, diaphragma in actionem cietur, vomitusque

\* Nerv. System, p. 92.

† Works, 317. 318. &c.

que excitari potest titillando pharyngen. “ Al-  
 “ ter oculus motum alterius sua sponte sequitur.  
 “ Quin et muscoli pupillarum utriusque oculi  
 “ conspirant; ita ut, admiffa ad alterum oculum  
 “ luce, utriusque fimul pupillae contrahantur\*.”

His omnibus perpenfis, motus convulfivos generales, ab irritamentis parti corporis fingulari admotis, eofdemque in artubus fingularibus, ex quadam re organa diffita irritante, provenire poffe, intelligimus. Utriusque exempla in chorea faepiffime videre est. Hujus fymptothiae rationem reddere equidem haud valeo, nec difquifitionem tam acrem inire volo. Hoc autem, ut opinor, probatum est, eam non a nervorum fingularium in curfu, fed omnium in cerebro, nexu pendere †. Satis quoque verifimile videtur, convulfiones in partibus, ab iis, quibus irritamentum applicatur, distantibus, mobilitati earundem peculiari tribuendas. His praemiffis, ad fymptomata figillatim exponenda magis accingimur.

*Instabilitas* artuum, quae initio morbi adest, aliqua ex parte, conditionibus corporis mobilitati

\* Greg. Confpect. 239. 240.

† Monro Nerv. Syft. p.46. et feq. Whytt's Works, p. 510.

tati faventibus ascribi potest ; sed plurimum quoque pendet ab incipientibus motibus involuntariis, qui voluntatis conatibus obstantes, eos perfectu difficiles reddunt.

Quare motus tremuli alterum latus magis adoriuntur, probe exponere nequeo. Observandum quidem est, unumquemque (ex vi consuetudinis forsan) hac manu prae illa uti, et eam, quae minime exercetur, debiliorem esse. Idem videre est in pedibus. Hoc artus minime usurpatos, mobiliores, eoque, huic morbo magis obnoxios facere potest ; quod meae experientiae convenit, nam latus sinistrum, quo minus quam dextro plerumque utimur, motibus tremulis saepius affectum vidi.

*Motus tremuli.* Mobilitatem inter ac vigorem antea distinguere placuit, cui discrimini, in his motibus explicandis, animum advertere necessarium est. Fibras musculares in contractionem et relaxationem vicissim tendere, musculosque adversarios contrahi, dum iis obstantes relaxantur, etiam recordandum. In chorea, igitur, quanquam sensilitas et irritabilitas adeo augeantur, ut nimis ad motum frequentes, stimulo admoto, accidant, laxitas tamen solidorum permagna, musculos contractionem plenam efficiendo

ineptos

ineptos reddit; ita contractiones leves alternæ musculorum extensorum et flexorum, motus artuum breves et enormes edant oportet. Inde conjicere licet, convulsionem a chorea in eo differre, quod in illa vigor, in hac autem laxitas musculorum, cum mobilitate conjunguntur. Neque hæc tremorum explicatio motibus magis violentis, qui in chorea interdum sese monstrant, minus accommodata; nam rapidæ, etsi imperfectæ, musculorum actiones in ambulando gradus nimis festinant, quos si sistere aegrotus conetur, iidem motus pedum accelerati, gesticulationes, choreas referentes, exhibent.

Hos tremores augeri, dum aeger motum voluntarium levem perficere conatur, haud quidem mirum. Corpore debilitato, si motus artus excitetur, primus nifus fit stimulus parti admotus, quo muscoli nonnulli in contractionem cientur. Ista musculorum contractio suos adversarios stimulat, et ad contractionem provocat; sicque gestus paulisper augentur ac accelerantur. Ita, motus involuntarios post somnum incitari\*, vel postquam diu cessaverint, renovari †, corpore quo-

vis

\* Vid. Dissert. hujus, p. 11.

† Ibid, p. 27.

vis modo movendo, antea dictum fuit, quod hanc opinionem summopere firmat. Idem, gradu magis violento, in tetano observatur, ubi nifus ad motum minimus spasmos maxime severos efficit.

Etiam si autem motus voluntarius levis tremores adaugeat, nifus major, ut in historia dictum, eosdem imminuit. Nam, quod dixit Hippocrates, “ duobus doloribus simul obortis, non in eodem loco, vehementior obscurat alterum \*.” Hinc, capite jam truncato, artus ranae ad movendum nullo irritamento iis admoto excitari parumper queunt, donec nempe dolor, a capite truncato ortus, sentitur †. Irritatio stomachi, quae singultum edit, partem corporis ullam aliam pungendo, adeo deletur, ut convulsiones diaphragmatis instanter desinant; idemque terrore et aliis animi pathematibus efficitur. Sternutationes irratas haud insequitur, si modo dorsi laterumve dolor primo ad sternuendum nifui superveniat. Femina nuper in nosocomio Edinensi hospitans, quae motibus, choream referentibus, saevissimis vexabatur, eorum, quamdiu fastidium,

remediis

\* Aph. lib. II. 46.

† Whytt, p. 260. 303. 501.



remediis provocatum, durabat, semper immunis fuit. Ex quibus omnibus plane colligendum, motus choreae convulsivos posse imminui, attentionem ab iis abstrahendo, et eam ad aliquem voluntatis motum perficiendum convertendo; et hoc modo imminutionem eorum, dum ambulare aegrotus conatur, explicare volo. Huc etiam attinet observatio Culleni, scilicet; “ that  
 “ the mind often yields to these convulsive mo-  
 “ tions, as to a propensity, and thereby they are  
 “ often increased, while the person seems pleased  
 “ with increasing the surprize and amusement,  
 “ which his motions occasion in bystanders \*.”

Praeterea constat, cujusvis musculi tensionem a conspirante contractione aliorum musculorum multum pendere; inde, quo plures musculi uno tempore contracti, eo major uniuscujusque vigor fit †. Infans, verbi causa, qui adhuc titubat, aliquid ponderosum ferens, stabilior evadit. Feminae, quae foro Edinensi salem piscesque afferunt, domum corribus vacuis petentes, eas lapidibus saepe replent, ut magis firmiter gradiantur.

\* First Lines, MCCCL.

† Vide hanc rem luculentissime tractatam ab ingenios. Henrico Cullen in dissert. suae inaugur. p. 17.

tur. Plerique hominum balneo frigido emergentes, tremoribus totius corporis afficiuntur, quos ad depellendos nil, quam strenua maxillarum actio inter manducandum, vel curfus, efficacius. Saltatores saepe pondus in manibus sustinent, ut vires intendant; et quotiescunque nisum fortem molimur, cunctos trunci musculos, plena inspiratione, quam maxime extendimus. Pari omnino ratione, uti motus choreae involuntarii saepe vi consuetudinis, post causam ejus magna ex parte sublatam, manent; quaelibet voluntatis actio, quae musculos affectos tendere valet, eos roborabit, convulsionesque sistet.

Symptomata interna, quae, motibus convulsivis interruptis, accidunt, explicatu admodum difficilia; sed sympathiae, inter diversas corporis partes existenti, tribuenda sunt. Motus irrationes aliquas necessarie insequitur; et si muscoli, quibus stimuli admoventur, ob vim externam, aliasve causas, agendo fiant inepti, irrationes, quas stimuli faciunt, ad sensorium commune per nervos transmittuntur, et in organa diffusa edunt effectus. Inde cor, viscera abdominalia, et diaphragma, quae maximam, secundum Hallerum, possident sensilitatem, facillime his causis afficiuntur. Ex eodem principio intelligimus,

mus,

mus, cur artus caeteri affecti magis agitantur, quando unicus fraenatur; hi enim solito mobiliores, prae reliquis corporis partibus, quovis irritamento in actionem cieri debent. Cunctas vero hujus sympathiae operationes, in symptomatibus choreae variis edendis, parum intelligo, minimeque explanare possum.

Pulsus ex instabilitate motuum convulsivorum semper inconstans et mutabilis fit.

Appetitus vorax, ex tam aucta stomachi sensibilitate, ita ut famis sensus sit continuus, nisi cibus nuperrime sumatur, oriri potest. Idem sensibilitatis augmen saepe vomitum, post cibum sumptum, efficit.

Convulsiones periodicas legi oeconomiae animalium universali, qua mutationibus diurnis subjiciuntur, et per quam paroxysmos febrium intermittentium adeo acute exposuit ill. Cullen, tribuere volo.

Nec quidem mirandum est, agitationes, durante somno, nonnunquam manere; is enim, nonnullis in casibus, convulsionum ortui evidenter favit. De Haen exemplum epilepsiae narrat, quod, somno ingruente, solummodo adoriebatur; duoque ei simillima vidi.

Quod

Quod ad symptomatum explicationem attinet, haec sufficient; cuncta enim exponere, et tempus et ingenium me longe deficerent. Quod quidem olim de hysteria observavit Sydenhamus, hujus morbi signis accommodatissimum est; “ tam varia atque ad invicem contraria specie variantia, quam nec Proteus lufit unquam, nec coloratus fpectatur chamaelcon \*.”

### P R O G N O S I S.

Chorea rariffime lethalis eft. Quum impuberes aggreditur, pubertate perfecta, evanefcere plerumque folet; quando aetate provectos invadit, per totam vitam iterari confuefcit, etfi in fenectute omnino interdum amovetur. Ea exempla, quae ex labe haereditaria proveniunt, vix prorfus fanantur. Nunc in epilepfiam, nunc in hysteriam, definit; fed hoc valde rarum. Siquando tamen fpafmi ad functiones vitales deferantur, eafque diu turbent, mors fequatur oportet. Periculofum igitur forfan eft motus diuturnos

\* Epift. ad Cole.

diuturnos repente sedare, praesertim si saeviores fuerint; nam vomitus, indigestio, etiam syncope, tunc aliquando incidunt.

### METHODUS MEDENDI.

In hoc morbo medendo, consilia praecipua sunt,

- I. Causas excitantes evitare et amovere.
- II. Motus abnormes reprimere et sedare.
- III. Proclivitati ad morbum obviam ire.

I. In quibusdam casibus, ubi proclivitas ad morbum submoveri nequeat, causis excitantibus sedulo fugiendis, contra morbi novum impetum caveri potest. Quoniam consuetudo frequentibus repetitionibus morbum adeo firmat, ut post causas primas sublatas diu interdum maneat, quoniamque causae ipsae diuturnae difficilius amoveantur, eas quam primum detegere, omnesque vel ab initio vitare, vel statim abigere oportet.

De causis vero amovendis, quod omnibus modis est tentandum, paulo fusius dicam. Animi pathemata, quae hunc morbum excitant, raro durant, etsi diu saepe effectus eorum permanent;

manent; contra hos, itaque, frequentius pugnare cogimur, sed ambo nonnunquam attentionem postulant. Quoniam nihil igitur tam efficax ad reprimendum aliquem animi affectum, quam contrarii excitatio, invenitur, ita nihil, motus convulsivos priore pathemate editos amovendo quandoque aptius. Hinc terror et horror convulsionibus medentur; hinc etiam apud vulgos, fides in amuletis, verbis, et medicamentis quibusdam, morbos gravissimos sanat. Huc spectat quod Lieutaud de chorea, Parisiis olim invalente, narrat; regem nempe severa lege morbum penitus arcuisse\*. Ad idem pertinet, quod, morbo plures simul invadente, maxima cura adhibenda sit, ne vel illi ad morbos hujusmodi proclives, vel qui jam laborant, alios paroxysmo tentatos videant; ita enim inducuntur, aut augentur saepe motus.

In variationibus vero morbi *symptomaticis*, melius quam in *idiopathicis*, causas excitantes demovere possumus; de quibus nunc breviter, in ordine antea relato, differendum.

*Plenitudo vasorum cerebri nimia.* Sanguinis missio, et ex parte, et brachio, huic amovendo praesertim

\* Synopf. p. 153.

praesertim convenit. Hirudines, cucurbitulae cruentae temporibus adnotae, arteriae ipsius sectio, aut vesicatoria capiti applicata, remedia sunt maxime praestantia. Choream, quae diutissime, remediis frustra adhibitis, duraverat, epistaxi tandem sanatam, ferunt \*. Ii, qui frequentibus in cerebro sanguinis cumulis obnoxii, fonticulum prope caput inferere debent. Evacuaciones generales, quibusdam in casibus, necessariae esse possunt, sed plerumque vitandae, nisi *diathesis* totius corporis *phlogistica* adsit. Ubi chorea periodica ex congestione sanguinis in cerebro oriri videtur, paroxysmis ejus per phlebotoniam opportunam obsistere quidem valemus. Sydenhamus complures hoc morbo laborantes repetitis venaesectionibus, sanavit †; sed corpus  
remediis

\* Comment. Lipsiae, 1773, p. 529.

† Vide etiam Com. Lipsiae, 1763. p. 653. Praxis Sydenhamiana hoc in morbo singularis fuit, et hodiernae parum consentanea. Cuique enim aegroti, sive plethora sive inopia sanguinis choream intulisset, sanguinem mittendum iussit, quod, nisi plethora adsit, adeo non prodest, ut incommodum, imo perniciem <sup>a</sup>, afferat, etsi forsitan aliquantisper motus sedare possit.

<sup>a</sup> Vid. dissert. hujus, p. 34.

remediis tonicis aptissime firmavit, simul ac tremores inceperunt imminui.

*Vermes aliaque in intestinis irritamenta* quam maxime e corpore expellere conandum est; sed quibus modis hoc proficiendum est, sigillatim exponere hic inutile foret. Varia anthelmintica, ad vermes interficiendos, accommodatissima sunt, quorum omnium mercurius dulcis mihi optimum remedium semper visus est. Cum vero nonnulli medici mercurium, quocunque modo paratum, quippe infantibus ineptum, verentur, ad *Spigeliæ Marylandicæ*, corticem *Geoffraeæ inermis*, aliasque plantas, stanni et ferri præparaciones, aut purgantia fortiora, eos confugere oportebit.

Ad caetera irritamenta ejicienda, purgantia diversa accommodantur. Sagax Sydenhamus intestinorum evacuationem multum commendat; et ex scriptis ill. Whytt, morbi hujus exemplum, diarrhoea spontanea sanatum, antea memoravimus. Varias etiam historias aegrorum, quibus laxantia opem attulerunt, tradunt\*. Aliquantum commodi ex usu emeticorum semper sperare licet, quando aliquid acre in stomacho continetur.

\* Rahn. p. 116. Com. Lips. 1773, p. 301.



timetur. Vomitus etiam, corpore exagitando, utiles evadere possunt; nam motus corporis magnus \*, ut et nausea †, quam emetica movere solent, convulsionibus semper quadam ex parte moderantur. Si venena quaelibet in stomachum recepta, ibi vel in primis viis maneat, choreamque excitent, non modo emetica et purgantia, sed *specifica* quoque, si praesto sint, libere adhibere debemus. Oleum ricini est cathartorum praestantissimum; dum acrimoniam enim expellit, intestina mucilagine oblinat, et quodammodo defendit. Necnon ex usu enematum fausti effectus provenerunt ‡.

*Nervi partium aliarum irritati.* Cuncta irritamenta, quae choream ciere valent, aut remedia iis opportuna enumerare, minime vacat; pauca igitur de illis antea recensitis solis nunc proferenda. Quando ex dentitione morbus oritur, gingivae scarificentur oportet, ut inflammatio ac tensio tollantur; quod morbum ipsum tollendo, nisi diu manserit, sufficiet. Aliarum partium inflammationes more solito amovendae. Sensus *aurae*, qui interdum hoc in morbo percipitur,

G medicorum

\* Vide dissert. p. 42.

† Ibid. p. 38.

‡ Com. Lips. 1773, p. 300.

medicorum attentionem quoque meretur. Cum in eadem parte semper oriri videtur, eam vel excidere, vel per causticum consumere, forsan licebit; vel si nervus prae aliis afficiatur, is dividatur oportet. Partibus, quibus haec applicari nequeunt, proderunt vesicatoria.

II. Si vero causae excitantes difficile vel non omnino amoveri potuerint, aut motus, his abditis vel expulsis, permanserint, ad antispasmodica remedia, ut consilium secundum expleatur, confugiendum est; quorum complura apud materiae medicae scriptores recitantur, sed multa nunc pene exoluerunt. Poenia, hyoscyamus, stramonium, et oleum animale, vix hili nunc aestimantur. Ipsius valerianae radix votis medicorum haud quidem nuper respondisse dicitur; quod ei male paratae (ut in quibusdam aliis memoratis) magna ex parte tribuendum est; quando enim ex humo tempestive tollitur, ac rite servatur, huic aliisque morbis spasmodicis maxime prodest. Experimenta complura a Dre. Hope, in nosocomio Edinensi facta, quibus praesse feliciter mihi contigit, hujus remedii vires insigniter evincunt. Egregius iste vir, in variis morbis, ubi opium quidem somnum afferre nequiverat, valerianam ad ℥ss. vel ultra praecepit, quae

quae somnum fere semper placidissimum conciliavit. Vero igitur simile est, valerianam ac opium eodem modo, in sanandis convulsionibus, edere opus. Illam quando feles avide petunt vorantque, purissima habenda est.

*Opium* ad spasmos consopiendo summopere valere, omnibus innotuit. In habitibus plenis, et praecipue si congestio specialis adsit, anceps existimatur; in hoc tamen morbo, etsi nonnihil plenitudinis sit, somnum inferendo, eoque pacto motibus interrumpendis, plurimum commodi saepe praestare potest. Ad hoc, ob effectus opii fugaces, doses et largae et frequentes plerumque necessariae sunt; nam convulsiones redire solent, simul ac primi ejus effectus desiverint. Sed et aliud et prorsus mirabile factum de usu hujus in chorea nuper observavi. Solers medicus Henricus Cullen, feminae, quae cuncta fere antispasmodica per quadriennium frustra devoraverat, opium bis terve indies praecepit, quod gradatim auxit donec aegra gr. XLVIII. quotidie fumeret. Dein totum simul omisit, et motus, antehac nihil minuti, protinus cessarunt. Paucos post dies motus renovati, experimento eodem iterato, similiter fugati sunt.

*Moschus,*

*Moschus*, dosibus idoneis adhibitus, virtutes antispasmodicas insignes possidet, quando purus et omnino immistus obtinetur; talis vero rarissime comparatur.

*Liquor aethereus vitriolicus* raro sine fructu in affectibus spasmodicis usurpatur; sed effectus ejus magis subiti quam stabiles reperiuntur.

*Camphora* in diversis convulsionibus multum laudata est, et prae caeteris in chorea; eam autem exhibitam tam raro observavi, ut quidlibet fidenter dicere, mihi esset nefas. Testante autem Doctore Hope, haec in omnigenis fere spasmodicis remedium est imprimis utile et efficax, si modo ad scrupulum vel amplius detur.

*Flores Cardemines*, secundum Doctorem Home, vi antispasmodica notabili gaudent, et nonnulla choreae exempla, quibus hoc remedium adhibuit, exitum felicem habuerunt. Quatenus autem ipse observavi (quod quidem parvum) hoc saepius remedium iners visum est; cumque ex plurimis medicis certior factus sum, se nunquam in convulsionibus effectus ullos ab eo provenientes observasse, omnia fere alia antispasmodica ei anteponeere cogor.

*Electricitas* in morbis, ex mobilitate ortis, effectus subitos ingentesque edit, choreamque frequenter

quenter sustulit. De Haen complures validos-  
que ictus felicissimo cum fructu in hoc morbo  
adhibuit \* ; nec minus prospere ea usus est Prof.  
Home. Quod ad methodum ejus optimam ex-  
hibendae, a plerisque hodiernorum dissentire  
necessarium habeo. Cavallo, aliique scriptores,  
strenue asseverarunt, eam, scintillis lenibus ae-  
que ac ictibus fortioribus adhibitam, morbos fa-  
nando esse aptam. Nimis arrogans fortasse vi-  
dear, si meam experientiam tot tantisque aucto-  
ritatibus objicerem; vero eam solam secutus in  
aliam ivi sententiam. Aliquantum versatus in  
electricitate aegrotis, tum qui in nosocomio E-  
dinenfi habitant, tum qui illuc consilium medi-  
corum petentes indies accedunt, applicanda, con-  
stanter observavi, multo plures eorum qui ictus  
fortiores, quam qui scintillas modo lenes subie-  
runt, ad sanitatem esse eVectos. Quosdam mor-  
bos spasmodicos levibus scintillis esse levatos,  
confitear oportet; sed paucissimi casus ejusmo-  
di mihi obvenerunt, in quibus alia remedia, ea-  
que potentissima, non sunt usurpata; ex quo  
colligere volo, ictus complures, crebro adhibitos,  
scintillis mitibus plerumque esse anteponendos.

*Balneum*

\* Ratio Medendi, vol. 1. p. 52. Vide etiam Com.  
Lips. 1772, p. 60.

*Balneum tepidum* inter remedia antispasmodica jure collocatur, nec minus in chorea quam in aliis convulsionibus, si praesertim sudorificis conjunctum sit, utile evasit \*. Haec frequenter sola morbum brevi sustulerunt. Fomenta artuum affectorum, vel aqua calida iis suffusa, sudore promovendo, eoque modo motus abnormes reprimendo, forsan convenient. Haec vero iis casibus potissimum accommodantur quos frigus adauget, sedatque calor; statim vero post usum eorum, ne redeant motus, corpus *tonicis* roborandum.

Porro, cum interdum diu persistat morbus, aut saepe recurrit, post causam primam sublatam, quod vi consuetudinis antea attribui, ita omnibus modis hanc consuetudinem subvertere conandum. Ideoque morum omnium pristinorum mutatio in hoc morbo plurimum praestare potest. Huc attinet Hip. aph. “Juvenibus comitialibus liberationem faciunt mutationes, maxime aetatis, et regionum, et victuum. †” Si menses haud effluerint, et aetas idonea accesserit, sunt semper provocandi; nam statum totius

\* Com. Lips. 1766, p. 255.

† Aph. 46. Sect. 2.

totius corporis adeo mutant, ut post primum eorum fluxum morbus rarissime maneat. Febris quoque, consuetudinem abrumpendo, choreae ac epilepsiae interdum medetur.

Hoc modo quidem, cuncta remedia, *antispasmodica* vocata, agere videntur; de quibus in genere observare libet, ea raro morbum penitus abigere, sed, subitanam quandam in corpore mutationem efficiendo, optimos effectus repentino praestare. Quaedam ex iis, ut opium, sensilitatem fortasse obtundunt; pleraque tamen, quod ex supra relatis patet, consuetudinem solam diruunt. Ad morbum praecavendum, aut statum corporis, unde mobilitas pendet, radicitus submovendum, parum valent. Motibus igitur vel instantibus vel praesentibus accommodata tantum inveniuntur; sed hi, ad quietem perducti, ne redeant, alia facilius et efficacius cavent.

Praeterea, motibus involuntariis quam maxime obstandum. Attentione diuturna, musculos, quorum motus antea difficiles, facillime movere discimus. Hinc quidam musculis aurium, palati, capillitii, quandocunque iis libuit, uti didicere; et si scriptis medicis fides habenda sit, cordis actio quandoque voluntati paruit. Pari ratione, convulsionibus

convulsionibus invitis obfistendo certe plurimum praestandum est.

III. Haec omnia enim morbum penitus depellendo, uti diximus, ne quidem sufficiunt, etsi cum vel mitiorem reddant, vel pro tempore abigant. Eodem igitur tempore, quo ea adhibemus, vel illico post morbi symptomata sublata, ejusdem reditui occurrendum est. Antea monstravi, mobilitatem choreae faventem ex debilitate aut plethora potissimum oriri, quibus amotis, consilium tertium conficitur.

Primum de debilitate. Ad hunc corporis statum, quo nullus sanitati magis adversus, probe amovendum, diaeta nutriens, et vinorum usus modicus, tensionem et plenitudinem vasis reddendo, ex quibus fibrarum tonus aliqua ex parte semper pendet, maxime conveniunt. Quinetiam aër purus et moderate frigidus, lavatio gelida, exercitatio apta, et remedia quaedam roborantia et astringentia, utilissima sunt.

Aërem modice frigidum corpus firmare et roborare, plurima comprobant. Dum Britanni, e. g. coelo sub frigido degentes, robusti ac vegeti plerumque conspiciuntur, incolae regionum calidarum, caeteris paribus, sunt saepius macilentissimi,



lenti, debiles, et enerves. Necnon in compluribus morbis effectus optimos saepe edidit.

Quo aqua est aëre densior, eo frigus aquae ope adhibitum insigniores edit effectus; nec modus corpus firmandi magis efficax vel arte inventus, vel natura suppeditatus fuit. In plurimis morbis aequae ac in chorea medenda laudatur\*; affirmatque cel. Mead †, quod sibi nunquam difficile fuit frequentibus in aquam frigidam immersionibus, et medicamentis ex chalybe paratis, hunc morbum penitus depellere. Aqua artubus affectis suffusa, effectus etiam minime aspernandos praestat.

Corporis exercitatio in hoc, uti in omnibus morbis ex mobilitate pendentibus, admodum utilis est, ac satis libere usurpanda. Uti vero motus involuntarii recte ambulando ineptos reddunt aegros, gestatio ulla, quae corpus concutit, aptissima est. Quidam aegroti, ex rure ad nosocomium Edinensem equo aut carro proVecti, aliquamdiu post iter peractum motibus convulsivis immunes fuerunt; ex quo conjicere licet, gestationem violentam huic morbo interdum

H

prodesse

\* Edin. Med. Eff. v. II. art. 25.

† De Imperio solis, &c. p. 87.

prodesse posse. Sed citra defatigationem semper est subsistendum. Quando foris se exercere nequit aegrotus, infideat cathedrae vi praeditae refiliendi. Necnon pondus quodlibet manibus sustentum, et huc illuc agitatam, motibus choreae non parum moderatur; nam cuncti fere muscoli hoc modo tenduntur, artusque fiunt stabiliores. Cucurbitulae sine ferro in partibus convulsis defixae \*, constringendo ac tendendo musculos, agere quoque videntur. Quae omnia doctrinam supra traditam de tensione musculorum, vicinis semet contrahentibus, aucta, firmant probantque †.

*Medicamenta tonica.* Ex plantis roborantibus, cortex Peruvianus procul dubio maxime tutus et efficax est, et optimo cum exitu in chorea adhibitus fuit. Quoniam adeo pollet in febribus intermittentibus sanandis, eum in chorea periodica magnopere etiam valere, verisimillimum; cavendum est autem, ne iis in casibus, ex sanguinis in cerebro congestione oriundis, assumatur.

Inter

\* Thomson's Consult. p. 263. Home Princip. p. 237.

† Vide Dissert. p. 41.

Inter metalla, ferrum saepe commodissimum est. Praeparationes sunt, rubigo, quam ill. Cullen potissimum commendat, limaturae, et flores martiales. Cuprum quoque in chorea, ut et in plurimis aliis convulsionibus, commodum praestitit. Nescio quam ejus praeparationem aliis praeferam; cum vero pilulam caeruleam saepissime dederunt medici, eam maxime efficacem esse probabile. Peritus medicus \* hoc remedium summis nuper extulit laudibus; et quaedam de usu ejus in hoc ipso morbo praecepit. Suadet plethoram, si talis extiterit, evacuantibus, exercitio, &c. prius fugandam, quam cuprum praescribatur; sin minus, corpus praeparatione nulla egebit. Nonnihil commodi ex dosibus vitrioli caerulei exiguis interdum derivatum fuit: Flores zinci in morbis convulsivis et spasmodicis a Gaubio multum laudantur, et vi sua roboranti, uti creditur, agunt. In epilepsia, nonnullisque convulsionibus violentis apud nostrates haud bene responderunt, sed in hoc morbo utiliores reperiuntur. Puella † decimum quartum annum agens, grano hujus mane et vesperi assumpto,

e

\* Dr Walker of Leeds, Med. Com. v. 10. p. 288.

† Med. Com. v. 11. p. 310.

e chorea penitus citoque convaluit ; aliique casus, in quibus ab hoc boni effectus derivati sunt, celebrantur \*. Vitriolum album, quod zinco et acido vitriolico constat, in nosocomio quodam, uti legimus †, maximo cum successu, in hoc morbo usurpatur. Tantum cupri ammoniaci et zinci conjunctim adhibitum, quantum seorsim antea sine fructu fuerat datum, plurimum profuisse, testatur medicus quidam ‡.

Astringentia, diversis in convulsionibus laudata, tot sunt quot enumerare nequeo ; nec hoc quidem optandum, ex magno enim acervo, quem genus hominum credulum, mendax, stolidum extruxerat, perpauca, trutina hodierna examinata, nomen retinuerunt. Vires visco quercino olim attributae, una cum ceremoniis, quicum antea datus est, magna ex parte evanuerunt. Astringentibus etiam, pleraque amarorum vegetabilium annumeranda, quorum nonnulla in chorea haud mediocriter forsan proderunt.

Ejusmodi

\* Med. Com. v. IV. p. 326.

† Dr Skeete on Peruv. Bark, p. 278.

‡ Apud Duncan's Med. Cases, No. I.

Ejusmodi sunt confilia, quibus debilitas, huic morbo proclivitatem praebens, amovenda; et plethora quoque plurimum levare, aut penitus sanari potest. Uti hic corporis status ex inaequalitate *ingestorum* et *excretorum* pendet, ita, iis invicem compositis, submovetur. Haec inaequalitas vel ex cibo nimis lauto, vel ex cibi apti nimia copia, pro excretionibus corporis, assumpta, oritur; ad aequilibrium igitur idoneum efficiendum, vel minuenda ingesta, vel augenda excreta. Ad illud exequendum, cibo gravi, animali, et liquoribus generosis, victum parcum, potum tenuem anteferre oportet; et huic perficiendo, idonea exercitatio, diluentia mitia, et evacuationes lenes subinde provocatae, optime convenient. Vesicatoria, cum ad congestiones speciales, tum ad nimiam corporis plenitudinem, amovendas, plurimum valent; et in foniculos, qui plethoram sanando haud parum conferunt, semper converti debent. Sanguinis missio generalis, praesertim si repetatur, plethorae admodum favet, et fere semper vitanda.

Plethoram a solidorum laxitate primitus oriri, vel cum ea saltem semper conjungi, verisimillimum habeo; una igitur cum remediis jam recensitis,

cenfitis, et poftquam debita fluidorum quantitas reponitur, ad roborantia quoque fugiendum.

Hic, quamvis loco inepto, hiftoriam choreae referre liceat, quam amicus meus Robertus Darwin, M. D. a patre fuo, auctore haud fecus ac medico eximio, acceptam, ipfo tempore quo haec imprimebatur pagina, mihi benigne tradidit. Femina, annos XVIII. nata, pfora laborans, ope *ceftus mercurialis* ex ea convaluit. Non citius vero profligata fuit pfora, quam chorea ad eo gravis, ut mens ipfa aliqua ex parte turbaretur, eam corripuit. Multis per mensem frustra adhibitis remediis, pforam revocare ftatuit Dr. Darwin, quam ut eliceret, mulierem cum fratre fuo infante, pfora tunc temporis tentato, ire cubitum juffit. Brevi pfora iterum afficiebatur, et jam inde choreae ex toto immunis evafit. Pfora denique, fulphure et interne et externe adhibito, tuto depulfa.

\* \* \* \*

Summam huic tentamini manum impofiturum, grates ex animo quam maxime fincero Profefforibus hujus almae academiae, patriae Scientiarumque

scientiarumque decōribus, ob doctrinas, quibus me per sexennium imbuerunt, praecellentes, agere juvat.

Imprimis autem viris optimis, clarissimis, Gul. Cullen, et Alexandro Monro, M. D. qui rem medicam explorarunt felicissime, illustrarunt, excoluerunt, non ob dubia fugata solum, aut lucem tenebris medicinae offusam, sed ob beneficia insignia et monita amica, quorum animum haud ingratum recordari delectat, gratias, si non dignas, certe ardentissimas semper referam.

Necnon Henrico Cullen, uni e medicis nosocomii Edinensis regii, patriis vestigiis insistenti, comitate eximia concilianti amorem, peritia et doctrina famam, propter indulgentiam ac benignitatem fere fraternas, quibus me, sub illius ductu in nosocomio degentem, nunquam non profecutus, et propter fructum manifestissimum, quem e methodo ejus medendi, cui quotidie interesse aliquandiu mihi contigerit, salutifera percepi, quantum debeam, bene sentio, sed nequeo id consequi verbis.

Demum, quantum amicis meis Roberto Cleg-horn, M. D. medicinam Glasguae facienti, ac Andreae Fyfe, anatomico exquisito, viris, omnibus,







- 1 De Hemoptysi. Forster  
 2 — Colica Pictorum - Meid  
 3 — Colica. Younge  
 4 — Scrophula - Pearson  
 5 — Mactilide - Barton  
 6 — Sanguinis Detractionis Usus & Abusus  
 Rogerson  
 7 — Suffocatione Stridula - Monro  
 8 — Variolis Inoculis. Calder  
 9 — Causis Hydropum Robertson  
 10. Phthisi Pulmon. Mutter  
 11. Diarrhoea - Gilliam

12. De Animo Demisso

Wistar

13. Acido Atmospherico. Scott

14. Dysenteria - Archer

15. Electricitate Medica

Habitudo

16. Ascensu Vaporum  
Spontaneo - Black

17. Melena - Bryan

18. Menibus. M. Donald

19. Respiration Gallawa

20. Diarrhoea Addie

21. Chorea - Ewart

*[Faint, illegible handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.]*